

tem se componens retrocedentis [a] podagrae periculum saepe euasit. Non improbamus hoc loco laudanum cardiaco sociatum & atrociores dolores e. c. colicos simul demulcens, imo etiam motum, qui interdum in expulsionis negotio vehementior exsurgit, placidior reddens. Caeterum de funesto opiatorum vsu superius diximus. Tutiora multo videntur aliis loco vinosorum decocta lignorum superius descripta, quibus & suus mouendi stimulus inest. Talia inter lenes ambulatiunculas, si fieri possint, aut pedum frictiones, quae optime ad pedes deriuant, hauriat aeger iusta dosi & certis interuallis, & mox ad lectulum se recipiat, qui partes inferiores suis iam fomentis inuolutas tegat, defendatque, superiores aeri liberiori, sed tepidiusculo, exponat.

Dolori redeunti gratulamur magis, quam medemur illud vulgare acclamantes:

*Gedult und ein wenig Schreyen
Sind die besten Artzeneyen.*

Doleat aeger modo periclitetur minus. Quid demulcendi doloris causa adeps serpentum Antillanis (b) familiaris, quid Anglicum illud remedium ex [c] oleo saturnino cum spermate ranarum, Mercurio dulci aliisque praestet, & an China Chinae, quam antipodagricum sine pari GOTTFER. HELDIUS (d) vocat, certum lenimen afferat, iam non disputabimus.

§. XXI.

Contra nouas recidivas diaeta vigilat. Haec suadet ea, quae boni sunt succi, & facilis coctionis, idque imprimis, ut exercentur ieiuni, & aluum mollem habeant, summoque studio caveant, ne sine fame, aut nauseabundi, aut crudis oppleti cibum sumant. Quantopere praeseruet adhibitum quotidie pediluuium, apud C. G. Reufnerum [e] vide. Chalybeata, amara, motus, frictiones a superato paroxysmo sunt plane egregia. Fontem Freywaldensem laudant obseruata Berolinensium. Consulantur hic Salmuthus, [f] Panarolus, [g] Horstius [h] & alii.

[a] Vid. Dissert. de mictu sang. p. cit.

[b] Voyages aux isles de l'amerique Paris 1722.

[c] v. append. libri Anglici, cui titulus: the art of Nursing. 1733.

[d] Ephem. Nat. Cur. C. III. & IV. c. app.

[e] Ephem. Nat. Cur. C. V. O. 5.

[f] Cent. 3. obs. 46.

[g] Pent. 3. obs. 5.

[h] Part. 2. Lib. 3. obs. 1. & 5.

F I N I S.